



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Sinapi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

Sunt qui surditatem ostendi velint per arundinis paniculam illam densam, oblongam, teretem, gravem, villo uti sericeo præditam, ac arctissime constipatam: ejus enim flos, sive potius flocus, si aurem intraverit, exiurdat: ideoque plerisque locis Surdones vocitantur. Lanugines eas Latini Pollulas appellarunt, est quibus strata fieri consueverunt, sed quæ nihilo fecius auribus nocent.

*Sed et in
Theophrasti
proserpina
Tholosa.*

DE SINAPI. CAP. XXV.

Sed jam quid sibi Sinapis velit, inspiciamus: quamquam, ut verum fatear, etiam partem hanc prætermisimus, quasi superfluum: quia postquam super Sinapi ea collegi, ram, quæ nostra prætere poterat imbecillitas, venit in mentem mihi videre, si quid Theologi nostri, præter quos sequimur Græcos, ea super philosophati essent, cum ecce primo atque secundo statim sermone, qui Ambrosio attribuitur, comperi, & copiose & erudite, uile salutariterque, ex sinapi condimentum esse confectum: quod quidem sive Ambrosii sit, sive cujusquam alterius, dubitare cœpi cum hoc, ex parte illo, & fatuum & insipidum forte omnibus appariturum. Postea cum me collegissem, & alia me condiendi ratione usum animadvertissem, multasque in domo Domini mansiones esse recordaret, & nullius generis vasa in ea esse, quæ non alicui apta usui essent, resumpti animi, porrigente mihi manum Origene, & prudenter, ut decebat, viridia hæc ingressus, alia quædam super Sinapi, quæ Papyro ipso, clarissime Beccadelle, subjungeres, tanquam spicilegus in unum eundemque manipulum congesta colligavi. Sed illud præmoncho, sinapin ab Ægyptiis positam me non invenisse. Sacras vero nostrorum literas, Græcorumque veterum monumenta habere multa, quæ nostra ex eo locupletare possunt hieroglyphica. Quare non temere fecisse visus fuero, si hujus quoque, quatuor significationes explicavero.

FŒCUNDITAS. CAP. XXVI.

Precipuum autem ejus significatum, ut ex tenui admodum principio latissime sit feracitas indicium. Unde illud Assertoris nostri dictum, *Si quis habeat fidem quantum est sinapis granum, unum, jussu illius montes transferri, eaq. omnia fieri, quæ nullum conatu imaginatione efflu posse videntur.* Exiguum est enim sinapis semen, & pusillo illud corpore scribit Athenæus: id tamen fecundæ terræ demandatum, quam diligens & laboriosus agricola polverit, omnium oleorum maximum evadit, demumque abit in arborem vel volucris, sustinendis idoneam. Talis quippe fecunditas rerum ex antiquæ Theologiæ nostræ lectione feracissime provenit, cujus quidem semina primo aspectu pusilla admodum videntur, verum ubi à perito agricola sata fuerint, in immentum coalescunt, augenturque in arborem, in ramos, & in virgulta unde quaque protum pennis, in quibus aves cæli congregentur, ut in sacris habeatur institutionibus. Aves igitur, hoc est, disputatores, quod interpretatur Adamantius, quippe Rhetores, qui velut aves cæli levibus pennis victorum duntaxat elegantium nitore freti, disciplinarum excelsa prius sectari, & ardua quæque appetere videntur. Pennata enim Homero verba. Et per bracteatas argento columbæ pennas, sermones Dei Theologi ajunt intelligendos. Hujusmodi igitur Rhetorum alites, simul ac nostram in sinapin inciderrint, ipsi denique rationibus, & rei ipsius veritate allecæ, non ingraram sibi sedem in ea delegerunt. Ex cujus quidem ramis non admodum delicate frondescentibus, vi tamen sua consistentibus, uile forte loquendi decor, sed optimæ vitæ tantum ratio, quæ sola sit appetenda, decerpitur. Quotquam Hesy chius Aves loco hoc Evangelico accipi contendit pro hominibus contemplationi deditis, qui si terrena aliqua tractare necesse habuerint, hoc est, si super sinapis ramo quiete cœtigerit, paulo post tamen volatu repetito, non ignaviter in sublime tollantur.

Sinapis fecunditas quavis.

Aves cœlestes quid.

INTELLECTUS EFFICACIA. CAP. XXVII.

Indicat vero semen ipsum (ut nos quoque de puteo nostro aliquid hauriamus) magnam altissimi intellectus efficaciam, quæ sub exili ac propemodum contemptibili semine lectionis, ut multi putant,